

Hermann Heltberg Joachim Rachel


Proemii Logici De Definitione Philosophiae Disputatio Prima

Rostochii: Myliandrus, 1609

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729079066>

Druck Freier  Zugang






57

R. U. phil. 1609. 10.

12 gyl.

35 1717






Annunte & Benedicente Domino
Procemij Logici
DE DEFINITIONE
PHILOSOPHIÆ
DISPUTATIO PRIMA.

Quam
In Inclita Rostochiensium Academia
P R Æ S I D E
M. HERMANNO HELTBERGIO
Walsrodâ Lunæburgico

Discutiendam exhibet
JOACHIMVS RACHELIVS *Lustro-*
viensis Megapolitanus.

3. Calend. Decembris, loco & hora
consuetis.




R O S T O C H I I
Typis Stephani Myliandri, Anno cl^o 1^o IX.

M. C. H. Lange

*Mauritius Sanderus
Hadelensis sexo
possidet.*

*Nunc vero Franciscus
Baumgius Pastor
Luboricensis.*

*Nunc vero
Henricus Kuefer
Paimensis.*



*SPECTATISSIMO JUXTA AC
CONSULTISSIMO VIRO,*

DN. BARTHOLDO SAFFIO,
inclutæ Lubecensium Reipub. Senato-
ri vigilantissimo.

NEC NON

*Ornatissimo, nobilitate generis, eximiaq; virtutis
ac probitatis laude præstanti viro juveni,*

**DN. HERMANNO CLEVE-
RO,** patricio ibidem primario.

Fautoribus ac promotoribus suis omni tempore maximâ
faciendis, in inveteratum *exercitias experientior*
has exercitationis suæ primitias

offert, dicat, consecrat

*Joachimus Rachelius Guströv. Meg.
Respondens.*



Prooemium.



DE Logicae utilitatibus in praesentia nihil omnino sumus prolaturi. De illis siquidem alias pluribus egimus, & si qui sunt qui ulterius de Logicae utilitatibus sunt solliciti, eruditorum possunt consulere libros. Hoc tantum, nos brevibus aliquot Disputationibus, Annuente & benedicente Domino, Logicam sub incudem revocaturus esse, hic praefari & praemonere volumus. Disputationum enim quanta sit utilitas & necessitas cuilibet qui saltem a limine, quod dicitur Academias salutavit, satis notum & perspectum esse arbitror. Ac proinde relictis longis de Logicae & Disputationum utilitatibus commentarijs ad ipsum potius Disputationum Logicarum actum e vestigio accedendum nobis esse, judicamus. Quia tamen apud plerosque Philosophos praesertim Aristotelicos & Ramæos in quam philosophica serie haec Disciplina, quam praemanibus habemus, collocanda, & num vel partibus vel instrumentis Philosophiae annumeranda sit controvertitur. Ideoque duas Disputationes Philosophiae essentiam in typo q. declarantes, ex quibus videre erit, quid de Logica sentiendum sit, prolegomenon loco disquisitionibus nostris logicis praemittimus.

Theorema Primum.

Philosophia est doctrina ductu lucis naturae inventa, ex qua discimus ea omnia, quae Deus nobis in hoc mundo vel cognoscenda vel agenda proposuit.

I. *Definimus Philosophiam per doctrinam, quam verum & legitimum ejusdem generis, praesertim si stricto jure nobiscum hic agere quisquam*

ca 2

quam

quam voluerit, esse negamus. Quia omnis, etiam ars mechanica & sordida per doctrinam definiri & describi potest. Sed absit ut philosophiam rem præclarissimam & liberali homine tantum dignam sub idem genus cum artibus mechanicis & sordidis liberaliq; ingenio indignis collochemus.

II. Accidentarium quoq; Philosophia genus doctrinam tantum esse manifestum est. Quod enim præceptor suos discipulos Philosophiã docet, ipsi Philosophiæ essentialia non est, sed tantum ratione præceptoris docentis eidem accidit. Jacob: Mart: Metaphys. lib. 1. cap. 1. theor. 1. Notum autem est & omnium eruditorum calculo approbatum, in definitionibus quatenus talibus legitima & essentialia genera relictis accidentalibus, esse tantum collocanda.

III. Proinde concluditur doctrinam legitimi generis loco in definitione non posse collocari. Si quis tamen à nobis querat, quare nos idem etiam, quia illegitimum genus erat non omiserimus? Respondemus, quia usus Eruditorum hoc ipsum approbaverit & per doctrinam quemlibet animi habitum voluerit intellectum, & nos generis loco illud retinere. Vocabula siquidem, ut vulgo dicitur, valent usu sicut nummi, & Scalig. de vocabulis non esse litigandum si de rebus constet, monet. Si verò quis hac responsione non fuerit contentus & ulterius nos de genere Philosophiæ sollicita verit, dicimus, nos habitum animi Philosophiæ genus legitimum constituere, atq; hoc respectu Philosophiam habitum animi sapientia & prudentia constantem, definire. Jacob: Mart: Metaphys. lib. 1. cap. 1. Theor. 1. Egidius Strauch. centuria quest. illust. Ethic. disp. 1. q. 1. Gregor. Horst. in Prodomo suo Log. cap. 3.

quare doctrina
sit q. emus vo
canda.

habitum animi
legitimum ge
nus philo

Theorema Secundum.

Non unam, sed quinque, vocabulum Philosophiæ, apud Philosophos, obtinet significationes.

I. Discutienda nobis prius est, antequam ad reliqua progrediamur, ipsius vocabuli ambiguitas. Benè enim Scalig. verborum curam habent

habendam esse magnam, inculcat. Verba siquidem ambigua, rectè explicata, in magnam rerum cognitionem deducere nos sapè solent. E contra verò vocabulorum ambiguum enodatione neglecta homines saepenumero in magnis & densis erroribus versari, experientia rerum Magistra, docet.

II. Qua de causa nobis et jam vocabuli Philosophia ambiguitas, qua alias multis multos parit errores enodanda & explicanda est. Non enim uno eodemq; modo philosophos hoc vocabulo usos fuisse, manifestum est.

III. Primò enim Philosophus noster Aristotel. per Philosophia vocabulum solam Metaphysicam philosophia partem nobilissimam, ut lib. γ. Metaphys. cap. 2. vers. 2. videre est, vult intellectam. Atq; hæc est strictissima vocabuli philosophia acceptio.

IV. Secundò latissimam hoc vocabulum apud Philosophos obtinet significationem, ut omnem cujuscunq; etiam rei cognitionem & scientiam denotet. Atq; hoc respectu quemvis in sordida & illiberali materia laborantem ejusdemq; peritiam habentem Philosophum id est sapientem, quia in sua arte sapit, appellamus.

V. Tertiò sumitur nonnunquam hoc vocabulum pro sola parte philosophia speculativa, quæ tres tantum disciplinas, Metaphysicam, Physicam, & Mathematicam, complectitur. Deindè etiam sumitur non solum pro illis disciplinis quæ verè Philosophia partes sunt & reale circa quod versantur agnoscunt objectum, sed etiam pro illis, quæ propriè loquendo non partes sed instrumenta ejusdem sunt, nec reale agnoscunt objectum, sed in Ente rationis seu notitionibus secundis efformandis tantum occupata sunt. Hac ratione Ramus quando disciplinas instrumentales cum principalibus confundit, deceptus est.

VI. Deniq; sumitur pro illis tantum disciplinis, quæ circa reale quoddam objectum occupata sunt. Atq; in hac ultima significatione Philosophiam in præcedente theoremate definitam, intellectam volumus. Hæc n. philosophia magis propria est, & omnes partes quæ revera philosophia partis nomine digna sunt, includit, & eodem indignas rejicit & excludit.

videtur de his
videtur?

Theorema Tertium.

Causam Philosophiæ efficientem facimus duplicem: Universalem & particularem.

I. Optimo consilio Philosophi causam in universalem & particularem dividunt. Invenit namq; hæc divisio in omni re locum & fundamentum. Nulla enim res est, cui hæc divisio non possit aptari & applicari. Quapropter etiam Philosophiam ipsædem privilegijs, quia ex numero rerum est, gaudere statuimus.

II. Agnoscit enim Philosophia causam aliquam universalem remota causâ seu remotam, quam DEum omnipotentem omnis boni fontem & originem esse, asserimus. Hic enim in primo statim creationis initio primos nostros parentes facultate res cognoscendi, & deinde benè agendi, quibus tota philosophica vis absolvitur, donavit. Adam enim ut sacra nos docent biblia omnium rerum à DEo creatarum habuit cognitionem, & quodlibet animal proprio appellare nomine potuit. Videatur Gregor. Horst: in prodyom: suo log. fol. 6.

III. Causam particularem dicimus naturales à Deo nobis insitos igniculos, quorum instinctu Philosophia exstructa & in animum hominis introducta est. Sic quotidie adhuc homines naturale illud desiderium explere & suum animum optimâ optimarum rerum cognitione implere, laborant.

Theorema Quartum.

Objectum philosophiæ sunt res omnes quat: cognitioni & actioni hominum substratæ sunt. & non excedunt intellectû nostrum.

I. Et hoc necessitas ut certum aliquod objectum seu materiam circa quam Philosophia assignemus, requirere videtur. Stultus siquidem esset, qui disciplinam aliquam in medium proferret, nec certum eidem objectum assignaret. Hoc enim necessario in quarvis disciplinâ, ut certum eidem aliquod assignetur objectum, requiritur. Imò omnes disci-

disciplina ab objecto suam accipiunt dignitatem. Tam enim demum disciplina dicitur bona, quando circa bonum occupata est objectum: tunc etiam legentium sibi conciliat favorem, si circa bonam rem cuius cognitionem pollicetur, occupata est.

II. Quare ne etiam Philosophi hoc ipsum negligere viderentur, certum Philosophia objectum assignarunt. Dicunt autem objectum Philosophia esse res omnes in hoc mundo contentas. Ne autem in quorundam qui omnium rerum adeo exactam exigunt rationem, incurrerent reprehensionem, hac prae dicta verba de Philosophia objecto cum quodam delectu esse accipienda, praecipuarunt, & per res hoc loco maxime mundanas & humana industria cognoscibiles, exclusis merè spiritualibus, quae nisi ex sola solius Dei revelatione inquiri & cognosci possunt, volunt intellectas. Relegatas etiam hinc volunt res sordidas, liberali & ingenuo homine indignas, quarum cognitio aut parum aut nihil utilitatis & iucunditatis est allatura videatur Henric. Velft. cent. 1, quest. phil. disp. 1.

Theorema Quintum.

Materiam ex qua, Philosophia agnoscit nullam.

I. Rectè Philosophia sicut & reliquis accidentibus materiam ex qua denegamus. Accidentia enim omnia sunt tantum nuda forma in subiecto, cui inhaerent, sustentata.

II. Ne tamen prorsus omni carere materia accidentia viderentur, Philosophi sapientiores subiecta, quibus inhaerent, materia loco ipsis assignarunt. Atq; hac ratione triplicem materiam divisionem excogitarunt. Vnam vocarunt materiam ex qua, quae etiam propriè solam est materia. Alteram dicunt materiam circa quam seu objectum circa quod. Disciplina namq; omnis certum objectum requirit quod Philosophi materiam circa quam solent appellare.

III. Dixerunt etiam quandam materiam esse in qua, qua omnia gaudent accidentia, quae propriè & verè loquendo omni prorsus

mate-

materia carent. Melioris tamen cognitionis causa Philosophi hanc materia divisionem excogitarunt.

I V. Sic omne accidens dicitur habere materiam, sed non proprie ita dictam. Subiecta siquidem, quibus inhaerent, materia loco assumunt. Sic quantitas, sic qualitas sic relatio, & ita deinceps accidentia materia proprie dicta carent, omnia.

Theorema Sextum.

Finis Philosophiae est duplex: Universalis & particularis.

I. Sicut omne Ens ad certum aliquem finem & scopum, tendit & aspirat: ita etiam philosophia ad finem aliquem ultimum consequendum omnia dirigit. Facimus autem ut ex theoremate nostro constat finem Philosophiae duplicem: Universalem & particularem. Omnes enim res finem aliquem universalem in quo conveniunt, respiciunt, & ad quem unanimiter tendunt, condita sunt.

Finis universalis
philosophiae, glo-
ria Dei est.

Finis philosophiae
particularis, est
factio nostra.


II. Finem itaque universalem facimus gloriam DEI omnipotentis. Ad hanc enim quodlibet Ens in suo genere tendit. Finem Philosophiae particularem, facimus perfectionem nostram, per lapsum primorum parentum amissam. Hoc respectu & Philosophia à reliquis rebus, quae ad gloriam Dei tendunt, est separata. Ut enim qualibet res in suo genere tendit ad finem illum ultimum; non v. iisdem medijs nec uno eodemque modo, sed una ab altera hac ratione differt & discrepat: ita etiam philosophia hac ratione à rebus reliquis sine particulari separata est. Sic aliter volucres caeli, aliter pisces maris, aliter homo, aliter philosophia fini ultimo seu gloria Dei inserviunt.


III. Atque hac de Philosophiae definitione, objecto, & causis pro ratione instituti nostri hoc tempore dixisse sufficiat Plura qui desiderat consulat clement. Timpl. in Technolog. sua cap. I.

COROLLARIA.

1. An Philosophia sit peccatum seu displiceat Deo? N.
2. An Philosophiae finis sit perfectio nostra?
3. An philosophia ad Theologiam utilis & necessaria?

109 100





306. sect. 20. in hac verba erumpens: Omne quod est, a primo principio, aut à primo principio. Unalia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia corruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis; & natura: nunquam vero corrumpitur; nunquam immortalitate Deo ipsum donavit.

Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem, concedere licet. Nam 1. Angelus tantum, & animalia existunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se existunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.

Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se existit, non in corpore, sed semper extra corpus.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore existere, per accidens tamen id fieri posse, concedimus. Quando corpora assumere, ut appareant hominibus. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi corpore existere. 359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora non sunt, & natura eorum non est, corporibus reformare, merito per se ab omni corporis unionem.

II. Sunt vero Angeli in duplici differentia: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione esse bonus, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur. Quicquid autem à Deo creatum est, bonum est.

A 3



the scale towards document